

## LA CARTUJA DE VALLDEMOSA

### *Documentos sobre su dotación*

#### (CONCLUSION)

1413, mar 7

*BENEDICTUS XIII ad perpetuam rei memoriam: quartum eccl. parr. de Falanigio monasterio cartusiensi dioc. maioric. sub diversis conditionibus incorporat. — Dat. Dertuse nonas mar. a. pont. XIX. "Digna exauditionis vota".*

### BENEDICTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Digna exauditionis vota personarum ecclesiasticarum sub regulari habitu divinis laudibus deditarum benevolo nos convenit favore prosequi et ipsarum necessitatibus occurrere provisionis gratia specialis. Exhibita siquidem nobis pro parte dilectorum filiorum priorus et fratrum domus Iesu Nazareni cartusiensis ordinis maioricensis diocesis petitio continebat quod fructus, redditus et proventus dicte domus adeo tenues et exiles existunt quod ipsi prior et fratres non possunt ex eis vitam suam commode sustentare. Quare pro parte prioris et fratrum predictorum nobis fuit humiliter supplicatum ut perpetuum beneficium sine cura, quartum nuncupatum parochialis ecclesie de Falanigio dicte diocesis, quod dilectus filius Iacobus Scarp clericus dicte diocesis, familiaris noster, obtinet cuiusque fructus, redditus et proventus illud pro tempore obtinenti et in dicta ecclesia non residenti ultra triginta quinque libras barchinonenses, ut iidem prior et fratres asserunt non valent communiter annuatim eidem domui in perpetuum incorporare, annectere et unire de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati beneficium predictum cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem domui auctoritate apostolica in perpetuum incorporamus, annectimus et unimus. Ita quod cedente vel decadente dicto Iacobo seu alias beneficium ipsum quomodolibet dimittente, liceat eisdem priori et fratribus per se vel eorum procuratorem corporalem possessionem beneficii, iuriumque et pertinentiarum predictarum propria auctoritate apprehendere et tenere, fructusque, redditus et proventus predictos in

suos et dicte domus usus et utilitates convertere, episcopi maioricensis pro tempore existentis et alterius cuiuscunque licentia minime requisita. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus domus et ordinis predictorum contrariis, iuramento confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboris. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quasquidem litteras et processus habitos per easdem ad prefatum beneficium voluntas non extendi, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem beneficiorum aliorum preiudicium generari et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus quorumque tenoris existant per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mencio specialis. Proviso quod beneficium predictum debitum non fraudetur obsequiis sed supportentur debite ipsius onera consueta. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari.

Nulli ergo omnimo hominum liceat hanc paginam nostre incorporationis, annexionis, unionis, constitutionis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum. Datum Dertuse nonas martii pontificatus nostri anno decimonono.

Super plicam ad dextram: Gratis de mandato Domini nostri Pape. B. de Monteolivo.

Sub plica ad sinistram: Gratis de mandato Domini nostri Pape.

B. Coma. = Expedita XV kalendas aprilis anno XVIII. C. de Campis.

A tergo: In medio super: D. = R magno caractere. = N. Conilli.

Unitur domui cartusie maioricensis hunum beneficium quartum nuncupatum de Felanigio quod obtinet Iacobus Scarp familiaris domini nostri Pape valoris XXXV librarum portatarum.

Adsunt quoque annotationes ex archivio conventuali Cartusie.

Calaix 3 numero 7. = Indult apostolich per lo qual es unit a la case de Cartuxa de Mallorca lo quart de la parroquia de Falanig.

Dats a VII de marts any del pontificat de papa Benet XVIII. Calaix 3 numero 7

Adest sigillum plumbeum a filo serico pendent.

1413, maii 13

*BENEDICTUS XIII abbatи monast. Bte. Marie de Regali maioric. et barchinon. ac maioric. officialibus committit executionem lit. app. quibus conceditur monast. cartusiensi dioc. maioric. quartum eccl. parr. de Falanigio, vacantem per resignationem factam a Iacobo Scarp. —Dat. Peniscole dertucensis dioc. III id. maii a. pont. XIX. —“Sincere devotionis affectus”.*

Benedictus episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis... abatti monasterii beate Marie de Regali extra muros maioricensi et barchinonensi ac maioricensi officialibus. Salutem et apostolicam benedictionem. Sincere devotionis affectus quem dilectus filius Iacobus Scarp perpetuus beneficiatus in ecclesia maioricensi, familiaris noster ad nos et romanam gerit ecclesiam, promeretur ut ad illa libenter intendamus que sibi fore conspicimus oportuna. Nuper siquidem perpetuum beneficium sine cura quartum nuncupatum parochialis ecclesie de Falanigio maioricensis diocesis quod ipse Iacobus tunc temporis obtinebat domui Iesu Nazareni cartusiensis ordinis dicte diocesis, auctoritate apostolica in perpetuum incorporavimus, anneximus et univimus. Ita quod dicto Iacobo cedente vel decedente seu alias beneficium ipsum quomodolibet dimittente liceret dilectis filiis... prior et conventui dicte domus corporalem possessionem beneficii predicti auctoritate propria apprehendere et tenere prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum itaque hodie dictus Iacobus dictum beneficium quod etiam tunc temporis obtinebat in manibus dilecti filii nostri Caroli Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis apud sedem apostolicam sponte resignaverit, ipseque cardinalis resignationem huiusmodi de speciali mandato nostro facto sibi super hoc oraculo vive vocis apud sedem admirerit antedictam nos dicto Iacobo previsorum intuitu de alicuius subventionis auxilio providere gratiamque facere specialem volentes, sibi ad id etiam prioris et conventus predictorum interveniente consensu pensionem annuam trigintaquique librarum monete barchinonensis super fructibus, redditibus et proventibus domus predicte per eosdem priorem et conventum dicto Iacobo vel procuratori suo ad hec ab eo speciale mandatum habenti, medietatem videlicet in nativitatis et aliam medietatem pensionis huiusmodi in resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi festivitatibus proxime futuris et sic deinceps quandiu ipse Iacobus vixerit vel donec aliud beneficium ecclesiasticum equalis vel maioris valoris pensionis huiusmodi sibi contulerimus aut de illo duxerimus providendum illudque ipse Iacobus fuerit pacifice assecutus, annis singulis persolvenda, auctoritate apostolica concessimus, constituimus et etiam assignavimus volentes et

uctoritate statuentes eadem quod iidem prior et conventus si infra octo dies singulos terminos huiusmodi inmediate sequentes, pensionem predic tam non persolverint ut prefertur, eo ipso idem prior et singulares persone ipsius conventus excommunicationis sententia innodati existant a qua preterquam in mortis articulo constituti absolvi nequeant donec prefato Iacobo de pensione tunc sibi debita foret integre satisfactum. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus domus et ordinis predictorum, etiam iuramento confirmatione apostolica vel alia quacunque firmitate vallatis et aliis contrariis quibuscumque seu si eidem priori et personis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indulatum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat per quam nostris litteris non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cuiusque totu tenore habenda sit in eisdem nostris litteris mencio specialis. Quo circa discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenuis vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios premissa ubi et quando expedire videritis auctoritate nostra solemniter publicantes cum vobis constiterit predictos priorem et personas huiusmodi excommunicationis sententiam incurrisse excommunicatos publice nuncietis et faciatis ab aliis nunciari, ipsosque excommunicatos ab omnibus arctius evitari donec dicto Iacobo de pensione tunc sibi debita fuerit integre satisfactum ac iidem prior et persone ab huiusmodi excommunicationis sententia absolutionis beneficium obtinere. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Peniscole dertusensis diocesis III idus maii pontificatus nostri anno decimonono.

Super plicam ad dextram: Gratis de mandato domini nostri Pape. Io. Belier.

Sub plica ad sinistram: Gratis de mandato domini nostri Pape. C. Coma.

Adest sigillum plumbeum e filo canapis pendente.

A tergo in medio: R magno caractere. Super: D. Inferius: Executio beneficii de Falanigio. C. = R.

Annotationes ex archivio conventuali: Calaix 3 numero 8.

Indult executori sobre la annua pensio del quart de Falanig pagadora per lo monestir de Cartuxa de Maiorca al renunciant dit quart. Dats a XV de maig any del pontificat del papa Benet XVIII.

Se pagaven 35 lliures catalanes a mossen Jaume Ascarp qui renuncia dit quart.

Calaix 3 numero 8.

1413, maii 25.

*Requirente Bernardo Giberti vicario monasterii cartusiensis, virtute  
litt. app. ut supra, Guillermus Fabregas rector parr. eccl. de Falanigio  
tradit eidem monast. possessionem quarti eiusdem parrochie.*

In nomine Domini. Amen. Noverint universi quod cum nuper sanctissimus in Christo pater et dominus Benedictus divina providentia papa tercarius decimus cum suis litteris sanis et integris, non viciatis, non cancellatis, nec in aliqua sui parte suspectis, sed omni prorsus vicio et suspicione parentibus ut prima facie aparebat, veraque bulla plumbea ipsius domini nostri pape in filis creceis et virmiliis de serico more romane curie bullatis, imperpetuum incorporavisset, annexisset et univisset domui Iesu Nazareni **cartusiensis** ordinis **maioricensis** diocesis perpetuum beneficium sine cura quartum nuncupatum, parochialis ecclesie de Ffalanigio dicte diocesis cum iuribus suis et pertinentiis universis, quod discretus Iacobus Scarp clericus dicte diocesis obtinebat, ita quod cedente vel decedente dicto Iacobo seu alias beneficium ipsum quomodolibet dimittente liceret priori et ffratribus dicte domus per se vel eorum procuratorem corporalem possessionem beneficii, iuriumque et pertinentiarum predictorum, propria auctoritate apprehendere et tenere, fructusque, redditus et proventus eiusdem in suos et dicte domus usus et utilitates convertere, episcopi maioricensis pro tempore existentis et alterius cuiusque licentia minime requisita, ut in dictis literis datis Dertuse nonas martii pontificatus ipsius domini nostri pape anno decimo nono latius reseratur. Deindeque prefato beneficio seve quarto per dictum Iacobum Scarp apud sedem apostolicam resignato et post factam et admissam resignationem huiusmodi eidem Iacobo per dictum dominum nostrum papam pensione triginta quinque librarum monete Barchinone annua super fructibus, redditibus et proventibus domus predice constituta, ut in literis apostolicis aliis in cordula canapis more romane curie bullatis vera bulla plumbea ipsius domini nostri pape continetur sub tenore sequenti.

Benedictus episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis... abbatii monasterii beate Marie de Regali extra muros maioricensis et... barchinensi ac... maioricensi officialibus. Salutem et apostolicam benedictionem. Sincere devotionis affectus quem dilectus filius Iacobus Scarp perpetuus beneficiatus in ecclesia maioricensi, familiaris noster ad nos et romanam gerit ecclesiam promeretur, ut ad illa libenter intendamus que sibi fore conspicimus oportuna. Nujper siquidem perpetuum beneficium sine cura quartum nuncupatum parochialis ecclesie de Falanigio maioricensis diocesis, quod ipse Iacobus tunc temporis obtinebat domui Iesu Nazareni **cartusiensis** ordinis dicte diocesis auctoritate apostolica imper-

tuum incorporavimus, annexuimus et univimus ita quod dicto Iacobo cedente vel decedente seu alias beneficium ipsum quomodolibet dimittente, liceret filiis... priori et conventui dicte domus corporalem possessionem beneficii predicti auctoritate propria apprehendere et tenere prout in nostris inde confectis literis plenius continetur. Cum itaque hodie dictus Iacobus dictum beneficium quod etiam tunc temporis obtinebat in manibus dilecti filii nostri Caroli Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi et cardinalis apud sadem apostolicam sponte resignaverit, ipseque cardinalis resignationem huiusmodi de speciali mandato nostro facto sibi super hoc oraculo vive vocis apud sedem admiserit antedictam, nos dicto Iacobo premissorum intuitu de alicuius subrentionis auxilio providere gratiamque facere specialem, volentes sibi ad id etiam prioris et conventus predictorum interveniente consensu, pensionem annuam triginta quunque librarum monete barchinonensis super fructibus, redditibus et proventibus domus predice per eosdem priorem et conventum dicto Iacobo vel procuratori suo ad hoc ab eo specie mandatum habenti, medietatem videlicet in nativitatis et aliam medietatem pensionis huiusmodi in resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi festivitatibus proxime futuris et sic deinceps quamdiu ipse Iacobus vixerit, vel donech aliud beneficium equalis vel maioris valoris pensionis huiusmodi sibi contulerimus, aut de illo duxerimus providendum, illudque ipse Iacobus fuerit pacifice assecutus, annis singulis persolvendam, auctoritate apostolica concessimus, constituimus et etiam assignavimus, volentes et auctoritate statuentes eademque iidem prior et conventus si infra octo dies singulos terminos huiusmodi inmediate sequentes pensionem predictam non persolverint ut prefertur eo ipso, idem prior et singulares persone ipsius conventus excommunicationis sententia innodati existant a qua preterquam in mortis articulo constituti absolvi nequeant donech prefato Iacobo de Pensione tunc sibi debita foret integre satisfactum. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus domus et ordinis predictorum, etiam iuramento confirmatione contrariis quibuscumque, seu si eisdem priori et personis vel quibusvis aliis comuniter vel divisim a dicta sic sede indultum quod interdici, suspendi vel excomunicari non possint per litteras apostolicas non faciente plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam nostris litteris non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cuiusque toto tenore habenda sicut in eisdem nostris literis mencio specialis. Quocirca discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios premissa ubi et quando expedire videritis auctoritate nostra solemniter publicantes, cum vobis constiterit predictos priorem et personas

huiusmodi excommunicationis sententiam absolutionis beneficium meruerint obtinere. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compesdendo. Datum Peniscole dertusensis diocesis tertio idus maii pontificatus nostri anno decimo nono.— Et perspectis et attentis his que in predictis litteris apostolicis continentur, nil aliud restet predicte domui Iesu Nazareni nisi possessionem dicti beneficii sive quarti, iuriumque et pertinentiarum illius, apprehendere et tenere iuxta licentiam seu facultatem dicte domui et eius priori et fratribus concessam et contentam in litteris apostolicis antedictis et ideo vicesima quinta die mensis madii hora tertiarum anno a nativitate Domini millesimo CCCC° tertio decimo in presencia mei Iohannis de Reria notarii publici infrascripti et venerabilis Anthonii de Stagno rectoris parochialis ecclesie de Sporlis et discreti Iohannis Parera presbiteri beneficiati in ecclesia sancte Eulalie et Ausie Iusti ac Iohannis Sora scriptorum maioricensium, testium ad hec specialiter vocatorum, religiosus vir dominus Bernardus Giberti monacus, vicarius absente venerabili priore domus predicte, seu monasterii Iesu Nazareni iamdicti personaliter constitutus ante presentiam venerabilis Guillelmi Fabregas rectoris predicte ecclesie parochialis de Falanigio, presencialiter existentis intus habitationem suam quam foveat prope ecclesiam sedis maioricensis intus Almudaynam Civitatis Maioricensis, dixit se nomine dictorum prioris et fratrum dicte domus virtute incorporationis annexionis et unionis expressarum in litteris apostolicis primo superius designatis, etiamque virtute literarum apostolicarum superius insertarum, et ex licentia seu facultate eis concessa videlicet quod ipse dominus vicarius dicto nomine requisivit dictum rectorem ut aliquid de fructibus et redditibus primicie dicte ecclesie parochialis de qua scilicet primicia ipse quartus proceditur et debetur traderet ipsi vicario nomine dicte domus priorisque et fratrum eiusdem in signum huiusmodi possessionis apprehense per eum ac habite et adhepte, faciens idem dominus vicarius fidem eidem rectori de incorporatione, annexione et unione licenciaque et resignatione predictis per literas apostolicas antedictas. Quicquidem venerabilis Guillermus Fabregas rector prefatus, visis et recognitis predictis litteris apostolicis, et attenta requisitione predicta, statim admittens et acceptans quantum in eo est dictos monasterium et conventum et eorum nomine predictum dominum vicarium, dadidit eidem vicario mensuram quamdam et modicam ordei et frumenti et de vino similiter primitie antedicta in signum possessionis huiusmodi corporaliter adhepte et habite ut prefertur. De quibus sic gestis idem dominus vicarius dicto nomina requisivit sibi eodem nomine fieri et tradi unum et plura publica instrumenta per me dictum notarium, presentibus antidictis. Que fuerunt acta preictis die, hora, mense, anno et loco ut superius continetur. Presentibus me notario et testibus supradictis ad premissa specialiter evocatis.

Signum mei Iohannis de Rieria auctoritate regia notarii publici per totam terram et dominationem illustrissimi domini regis Aragonum qui predictis interfui, hecque scribi feci et clausi.

A tergo: Possessio quarti ecclesie de Falanigio. Dats a XXV de maig MCCCCXIII. =  
R in medio.

Archivista monasterii scripsit: Calaix 3 numero 9 (bis)

1415, febr 19

*BENEDICTUS XIII ad perpetuam rei memoriam: incorporat monast. cartusiensi quartum ecc. de Robinis dioc. maioric., cedente Petro Fenollet cui solvetur annua pensio. — Dat. in civ. Valentie prov. terracensis XI kal. mar. a. pont. XXI. — "Ad ea ex apostolice servitutis".*

BENEDICTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Ad ea ex apostolice servitutis nobis inminente desuper officio libenter intendimus per que ecclesiarum et monasteriorum omnium ac personarum in eis degentium, presertim sub regulari habitu, Domino famulanum commoditatibus valeat provideri. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum... prioris et conventus domus Iesu Nazarenii cartusiensis ordinis maioricensis diocesis petitio continebat quod domus ipsa adeo tenues et exiles redditus habet quod ex illis prior et conventus predicti vix possunt commode sustentari ac eis incumbentia onera supportare. Quare pro parte ipsorum prioris et conventus fuit nobis humiliter suplicatum ut perpetuum beneficium quartum nuncupatum parochialis ecclesie de Robines dicte diocesis domui prefate imperpetuum incorporare, annectere et unire, de benignitate apostolica dignarremur. Nos igitur cupientes ut dicti prior et conventus decentius valeant sustentari huiusmodi supplicationibus inclinati beneficium predictum cuius fructus, redditus et proventus triginta quatuor librarum monete barchinonensis ut ipsi prior et conventus asserunt valore annuatim communiter non excedunt, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, eidem domui auctoritate apostolica imperpetuum incorporamus, annectimus et unimus. Ita quod dilecto filio Petro Fenollet canonico barchinonensi, qui dictum beneficium obtinet, cedente vel decedente, aut beneficium ipsum alias quomodolibet dimittente, liceat eisdem priori et conventui per se vel alium corporalem possessionem beneficii, iuriumque et pertinentiarum predictorum, auctoritate propria apprehendere ac

perpetuo retinere, fructusque, redditus et proventus, iura et obventiones ipsius in suos ac domus et beneficii predictorum usus convertere, diocesani loci vel alterius cuiuscumque licentia minime requisita. Non obstantibus si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum quasquidem litteras et processus habitos per easdem ad dictum beneficium volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem beneficiorum aliorum preiudicium generari et quibuslibet privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, proviso quod beneficium ipsum debitum non fraudetur obsequiis et solita eius onera debite supportentur. Nos enim exnunc irritum decernimus et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre incorporacionis, annexionis, unionis et constitutionis **infringere** vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum. Datum in civitate Valentie provincie Terraconensis XI kalendas martii pontificatus nostri anno vicesimo primo.

Super plicam ad dextram: Gratis de mandato Domini nostri Pape. Io. Belier.

Sub plica ad dextram: R. Auriensis. — Franciscus Rovira.

A tergo. In medio: R. magno caractere.

Subter: Expedita V idus martii.

Quartum de Robines maioricensis diocesis domui Iesu Natzareni cartusiensis ordinis dicte diocesis unitum.

Adest sigillum plumbeum e filo serico pendenti.

Annotationes ab archivista monasterii peracte:

Indult apostolich per lo qual es unit a la casa de cartuxa de Mallorca lo quart de la sglesia de Robines. Dats a XVIII de fabrer any del pontificat de Papa Benet XVIII

Calaix 3 numero 11. — Calaix 3 numero 11.

1415, febr. 19

*BENEDICTUS XIII officiali barchinonensi committit exequutionem litterarum quibus conceditur quartum ecc. de Robinis monast. cartusiensi dioc. maioric.— Dat. in civ. Valentie prov. terraconensis XI kal. mar. a. pont. XXI.— "Religionis integritas".*

Benedictus episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio... officiali barchinonensi. Salutem et apostolicam benedictionem. Religionis integritas sub qua dilecti filii... prior et conventus domus Iesu Natzareni cartusiensis ordinis maioricensis diocesis devotum et sedulum meritum Domino famulatum impendunt, promeretur ut ad illa que ipsorum utilitatem et commodum respicere dinoscuntur, quantum cum Deo possumus favorabiliter intendamus. Cum itaque hodie perpetuum beneficium quartum nuncupatum parochialis ecclesie de Robines dicte diocesis ex certis causis rationabilibus tunc expressis domui prefate duxerimus incorporandum et etiam uniendum ita quod cedente vel decedente dilecto filio Petro Fenollet canonicus barchinonensis dictum beneficium obtinente aut illud alias quomodolibet dimittente liceret eisdem priori et conventui corporalem possessionem dicti beneficii auctoritate propria apprehendere et perpetuo retinere, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, nos volentes eosdem priorem et conventum favore prosequi gratie amplioris, ipsorum in hac parte supplicationibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus si dictum beneficium per liberam cessionem dicti Petri vacare contigerit, ut prefertur, et consideratis per te super hoc circumstantiis attendendis, cessionem huiusmodi videris admittendam, illam auctoritate nostra hac vice admittas, ac eidem Pedro iuxta ipsius beneficii fructuum, reddituum et proventuum communem valorem, pensionem annuam super eisdem ac domus prefate fructibus, redditibus et proventibus per priorem et conventum predictos eidem Petro vel procuratori suo in terminis competentibus per te assignandis, annis singulis persolvendam, eadem auctoritate concedas, constituas et assignes, ac de illa ipsi Petro quoad vixerit facias integre responderi. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus omnibus et singulis que in dictis litteris voluimus non obstare. Seu si eisdem priori et conventui vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum quod ad solutionem alicuius pensionis minime teneantur, et ad id compelli aut quod interdicti suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum in civitate Valentie provincie terraconensis XI kalendas martii pontificatus nostri anno vicesimo primo.

Super plicam ad dextram: Gratis de mandato Domini Nostri Pape. Io. Belier.  
 Sub plica ad dextram: R. Auriensis.: Franciscus Rovira.  
 Adest sigillum plumbeum e cordula cannapis pendens.  
 A tergo in medio: R magna. = PLA. = Exequio de Robines. R. P.  
 Subter: Expeditum V idus martii.  
 Ponere, et quartum eiusdem domus conceditur ut ipsi possint *super pensione* (Hec verba sunt cancellata) cum possidenti dictum *pensionem* (verbum cancellatum) quartum si nescitur illud voluerit super pensione annua concordare.

Annotationes ab archivista conventuali peractae.

Indult apostolich executori sobre la unio e encorporacio del quart de la sglesia parroquial de Robines. Dats a XVIII de fabrer del pontificat de papa Benet XXI.

Calaix 3 numero 12. = b. Calaix 3 numero 12.

1415, 20 febr.

*Monachi monast. cartusiensis dioc. maioric. eligunt procuratorem in personam Iohannis Blanch priorem eiusdem monast. ad opus requirendi exequutionem litterarum Benedicti XIII quibus conceditur prefato monast. quartum de Rubinis. — Actum, firmatum et laudatum in dicto monast. anno, die et mense predictis. Inteveniente Ihanne de Rieria not.*

In Dei nomine amen. Noverint universi quod anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo quintodecimo, die vicesima mensis februarii venerabilis et religiosus dominus Bernardus Gisbert vicarius absente a diocesi maioricensi priore domus seu monasterii Iesu Nazareni maioricensis carthusiensis ordinis, frater Nicholaus Cuch, frater Laurentius Domanech, frater Petrus Rech sacrista, frater Antonius Manresa procurator, frater Bernardus Laurador et frater Martinus Parera monachi dicte domus seu monasterii, presentes et conuenta dicti monasterii sive domus facientes et propter hoc ipsius capitulum celebrantes in choro capitulari dicti monasterii consueto ubi fuerunt vocati et congregati propter hoc more solito ad sonitum campanelle, scientes et attendantes prout dixerunt sanctissimum in Christo patrem et dominum nostrum dominum Benedictum divina providencia papam' XIII ex certis causis piis animum suum moventibus cum suis litteris apostolicis perpetuo incorporasse, annexuisse et univisse eidem domui seu monasterio quartum ecclesie parochialis de Robinis dicte diocesis cum omnibus iuribus et pertinentiis suis sicut in dictis litteris apostolicis laciis continetur, et sicut etiam dixerunt cupiant ex hoc dictum quartum et eius fructus, redditus atque iura cum suo effectu possidere, habere sine tamen dampno seu detimento illum hodie possidentis. Ideo in presencia mei notarii et testium subscriptorum ad hec specialiter vocatorum, ipsi vicarius et monachi presencialiter constituti in dicto loco, scienter et gratis ac unanimis et concordes constituerunt et ordinarunt yconomum actorem et procuratorem suum dicte domus seu monasterii et eius conventi

venerabilem et religiosum virum dominum Iohannem Blanch priorem dicte domus seu monasterii pro nunc ut prefetur absentem, videlicet ad comparendum et se presentandum pro ipsis constituentibus et eorum nomine coram quocumque seu quibuscumque dominis executore vel executoribus datis vel dandis per dictum dominum nostrum papam super executione, incorporationis, annexionis et unionis huiusmodi ipsisque seu ipsis executori vel executoribus cum debita reverencia presentandum et exhibendum literas apostolicas super inde nunc impetratas, habitas et receptas, illumque seu illos humiliter requirendum ut procedere dignaretur ad debitam executionem earum et ad tractandum, concordandum et se conveniendum cum obtinente dictum quartum sive beneficiato eiusdem tam de pensione congrua illi quoad vixerit vel alias secundum literas executorias apostolicas super his confectas, vel conficiendas, persolvenda per ipsos constituentes et successores suos in dicto monasterio sive domo et constituenda eidem per dictos dominos executorem vel executores super fructibus, redditibus et proventibus dicti quarti quam de modo, forma et termino seu terminis, locoque seu locis quibus dicta pensio persolvatur quam etiam de penis et sententiis excommunicationis vel interdicti aut suspensionis ac aliis securitatibus super his stipulandis et etiam apponendis dictamque pensionem modo et forma et terminis seu terminis loco seu locis conventis et concordatis huiusmodi dicto beneficiato seu obtinenti dictum quartum persolvere oferendum et promittendum sub penis, sententiis et securitatibus predictis, videlicet, de quibus inter se dictus procurator et dicti quarti beneficiatus fuerint invicem concordati, vel prout dicti domini executor vel executores apostolici super his duxerint statuendum et pro solucione huiusmodi facienda et alias pro attendendis servandis et complendis promissionibus, penis, sententiis et aliis securitatibus huiusmodi obligandum eidem beneficiato fructus, redditus et proventus huiusmodi et alia bona predicti monasterii sive domus, necnon ad petendum et audiendum a dictis dominis executore vel executoribus apostolicis de et super omnibus et singulis ipsis observandis, attendendis et complendis ac ratione eorum omnem monitionem, omnique preceptum excommunicationisque, suspensionis et interdicti et alias quascumque sententias quas iidem domini executor vel executores apostolici facere, promulgare et proferre voluerint contra constituentibus prefatos tam communiter quam divisim et eorum in his pro tempore successores ipsasque monitiones, precepta et sentencias, penas et securitates emologandum, laudandum, stipulandum et suscipiendum. Et ad renunciandum ex causis predictis eorum foro ac omnibus et singulis exemptionibus, privilegiis et constitutionibus dicti monasterii et eius ordinis ac aliis quibuscumque et omnibus iuribus quibus dictum monasterium sive domus, vel fratres aut conventus eiusdem venire seu se iuvare possent adversus predicta vel aliquod pretensorum et ad submittendum

propter hec se ipsos dictum monasterium et conventum foro dictorum dominorum executoris vel executorum sive reverendi domini maioricensis episcopi, seu eius vicarii, vel officialis aut alterius curie ecclesiastice penes quem vel quos seu quam ipsos constituentes convenire voluerint pro eisdem et pro predictis et ratione eorum faciendum et firmandum unum et plura instrumenta bene vallata, omnibus et singulis pactis, promissionibus, obligationibus bonorum suorum dicti monasterii et conventus eiusdem renunciationibus, clausulis et cautelis ad ea necessariis decentibus et etiam opportunis procuratores unum et plures ad predicta sustituendum eosque destituendum et alios surodandum prout noverit faciendum et demum omnia et singula alia faciendum procurandum, gerendum et exercendum que in predictis et circa ea necessaria fuerint seu modo quolibet opportuna et que ac prout ipsi constituentes facere possent personaliter constituti, etiam si talia fuerint que de iure vel de facto mandatum exigant speciale et sine quibus predicta expediri non possent. Quoniam ipsi constituentes super predictis omnibus et singulis et dependentibus ex eisdem dicto procuratori plenam potestatem contuleunt eique comiserunt plenarie vices suas cum libera et generali administratione et promiserunt michi notario *infrascripto* ut publice persone nomine quorum intersit legitime stipulanti et paciscenti se et suos successores hiusmodi habere ratum et gratum quitquid dictus eorum procurator vel substituendi ab eo in et super predictis vel dependentibus ex eisdem eorum nomine duxerunt peragendum et nunquam revocare sub bonorum suorum et dicti monasterii ac conventus eiusdem omnium ubique obligatione. Quod fuit actum a predictis contrahentibus firmatum et laudatum in dicto monasterio, anno, die et mense predictis, ut superius continetur, presentibus me Iohanne de Rieria notario publico *infrascripto* et Philipo des Mas et Bartholomeo Claret habitatoribus dicte parrochie ac Petro Rossilionis scriptore maioricensi, testibus ad hec specialiter evocatis.

Sig num mei Iohannis de Rieria auctoritate regia notarii publici per totam terram et dominationem illustrissimi domini regis Aragonum qui predictis interfui hecque scribi feci et clausi cum rasis et correctis in linea quarta ubi dicitur in, et alibi in eadem propter hoc.

A tergo: Annotationes ab archivista monasterii peracte:

Procura feta per lo vicari e altres conventuals del monestir de Cartuxa de Maiorca al prior de dita casa sobre lo quart de Robines a tractar i concordar sobre dit quart e annua pensio de aquel. Dats a XX de fabrer MCCCCXV.

Calaix 3 numero 13.

1415, apr. 10

*Petrus des Sorts officialis barchinonensis, requirente Iohanne Blanch priore domus Iesu Natzareni cartusiensis ord. dioc. maioric. executat litt. apostolicas Benedicti XIII dat. Valentie XI kal. martii a pont. XXI, quibus conceditur prenominato monasterio quartum eccl. de Robinis. Datum et actum Barchinone die decima apr. anno a nat. Dni. millesimo quadringentesimo quinto decimo, coran Petro Areny not. curie barch.— Est copia vidimiata per Iohannem Vinyoles not. curie barch.*

Reverendo in Christo patri et domino domino Dei gratia maioricensi episcopo et venerabilibus viris dominis de capitulo eiusdem, ac rectori parochialis ecclesie de Robines maioricensis diocesis, omnibusque aliis et singulis personis quorum interest vel intererit et quos infrascriptum tangit negotium vel tangere poterit quomodolibet in futurum communiter vel divisim quocumque nomine nuncupentur. Petrus des Sorts decretorum doctor, canonicus calaritanensis officialis barchinonensis, commissarius sive executor unicus ad infrascripta a sede apostolica specialiter deputatus. Salutem in Domino Iesu Christo et nostris, ymo verius apostolicis firmiter obedire mandatis; Litteras apostolicas sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Benedicti digna Dei providentia pape XIII eiusque vera bulla plumbea in cordulis canapis, more romane curie impendenti bullatas, sanas, integras, non viciatas, non cancellatas nec in aliqua earum parte suspectas, sed omni prorsus vicio et suspitione carentes, nobis per venerabilem et religiosum virum fratrem Iohannem Blanch priorem domus Iesu Natzareni cartusiensis ordinis, maioricensis diocesis nomine suo proprio et nomine etiam totius conventus dicte domus, coram notario publico et testibus infrascriptis presentatas, nos cum ea qua decuit reverentia recepisse noviter quarum siquidem literarum tenor et forma sequitur in hiis verbis.

Benedictus episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio officiali barchinonensi. Salutem et apostolicam benedictionem. Religionis integritas etc. *ut supra.*

Post quarum quidem literarum apostolicarum presentationem et receptionem fuimus per dictum dominum fratrem Iohannem Blanch priorem iamdictum cum instantia debita requisiti ut ad executionem in dictis litteris contentorum procedere curaremus, iuxta traditam seu directam a sede apostolica nobis formam et inde honorabilis dominus Guillermus Carbonelli canonicus et sacrista ecclesie barchinonensis procurator ad hec una et in solidum cum aliis legitime constitutus a venerabili Petro Pontii de Fenollet canonico ecclesie barchinonensis et dicti quarti beneficii beneficiato, cum instrumento publico acto Ilerde quarta die aprilis anno a nativitate Domini millesimo CCCC° quinto de-

cimo in posse discreti Dalmacii Martini per totam teram et dominationem illustrissimi domini regis Aragonum auctoritate eiusdem notarii publici, coram nobis presentialiter existens, resignavit in manibus et posse meis dictum beneficium quartum ut premittitur nuncupatum, cum omnibus et singulis iuribus et pertinentiis eiusdem, pure et libere, et animo penitus dimittendi, petendo et supplicando nobis ut comisario sive exequore apostolica antedicto, quatenus dictam resignationem benigne admittere et iuxta formam dicte comissionis pensionem annuam constituere et assignare dignaremur, quamquidem resignationem nos Petrus Dez Sorts commissarius sive exequor antefatus admissimus ac eidem venerabili Petro Pontii de Fonollet habita per nos primitus summariam informationem de facultatibus et valore fructuum, reddituum, et proventuum dicti beneficii pensionem annuam quadraginta quinque librarum maioricensium super eisdem ac domus prefate fructibus, redditibus et proventibus per priorem et conventum predictos eidem Petro Pontii de Fanollet aut eius legitimo procuratori in Civitate Maioricarum persolvendas, videlicet in festo celebrationis purificationis Virginis Marie proxime venientis medietatem et residuam medietatem in festo celebrationis Ascensionis Domini proximi subsequentis et sic deinde annuatim in dictis terminis per dictos priorem et conventum integre respondi, allioquin ipse venerabilis prior et eius in ipso prioratu successores et singulares predicti conventus qui nunc sunt et pro tempore fuerint si concessioni, constitutioni et assignationi nostris huiusmodi non paruerint cum effectu excomuniorum et suspensionis sententias per nos inferius in scriptis latae incurvant et eos incurtere volumus ipso facto et pari forma de omnibus fructibus, redditibus et proventibus dicti beneficii eisdem priori et conventui perpetuo mandamus integre responderi. Quos igitur Petrus dez Sorts officialis et exequor sive commissarius prefatus volentes mandatum apostolicum nobis in hac parte directum reverenter exequi ut tenemur, predicta omnia et singula vobis et vestrum singulis intimantes, vos iamdictum reverendum dominum episcopum et capitulum et singulares de eodem, rectorem ecclesie iamdicte de Robines, omnesque alios et singulos quorum interest vel intererit communiter vel divisim requirimus et monemus primo, secundo, tertio, et peremptorie vobisque et vestrum singulis in virtute sancte obedientie et sub pena infrascriptorum discrete precipiendo mandamus quatenus iamdicto Petro Pontii de Fonolleto quoad vixerit vel suo legitimo procuratori de dictis quadraginta quinque libris maiorisensibus per terminos et solutiones iam dictos et dictis priori et conventui de omnibus fructibus, redditibus et proventibus dicti beneficii quarti ut premittitur nuncupati infra spacium sex dierum postquam pro parte dictorum Petri Pontii de Fonolleto et prioris et conventus iamdictorum fueritis requisiti sive alter vestrum fuerit requisitus, quorum sex dierum duos pro primo, duos pro secundo et reliquos duos dies vobis universis et singulis supradictis pro

tertio et peremptorie termino ac monitione canonica assignamus prout ad vos et vestrum singulos pertinet faciatis integre responderi. Si vero premissa omnia et singula non adimplerentur aut aliquid in contrarium feceritis vel mandatis et monitionibus nostris huiusmodi ymo, litteris apostolicis non parueritis nec paruerint cum effectu vel neglexeritis aut distuleritis contumaciter adimplere aut ipsius vel eorum alicui aut eorum procuratoribus impedimentum aliquod prestiteritis et prestiterint in premissis vel eorum aliquo necnon in vos omnes et singulos qui in premissis vel eorum aliquo culpabiles fueritis ut in contradictores quoslibet et rebelles aut impedientes ipsos vel eorum aliquem aut impedientibus dantes quomodolibet auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte, directe vel indirecte, cuiuscumque fuerit gradus vel conditionis existant quominus omnia et singula supradicta suum sorciantur effectum exnunc prout ex tunc in hiis scriptis predicta canonica monitione premissa excomijonis in capitulum vero suspensionis sententias promulgamus vobis vero domino episcopo quem ob reverentiam vestre pontificalis dignitatis nolumus prefata nostra sententia sic largiri si contra premissa vel aliquod premissorum feceritis per vos vel submissam personam palam vel occulte canonica monitione premissa in hiis scriptis ex nunc prout extunc ingressum ecclesie interdicimus, si vero predictum interdictum per alios sex dies prefatos duodecim inmediate sequentes sustinuentes, quod absit anomo indurato quia crescente contumacia crescere debet et pena, vos ex nunc prout ex tunc propter contemptum huiusmodi in hiis scriptis predicta canonica monitione premissa excomunionis sententiam innodamus. Ceterum cum ad executionem premissorum ulterius facienda nequeamus ad presens aliis occupati negotiis personaliter interesse, venerabilibus et providis viris universis et singulis dominis abbatibus, prioribus, prepositis, dechanis, archidiaconis, sacristis, cantoribus, canonicis, parochialium ecclesiarum rectoribus, cappellanis, presbiteris, curatis et non curatis per Civitatem et diocesim Maioricarum et alias ubilibet constitutis et eorum cuiilibet in solidum super ulteriori executione dicti mandati apostolici atque nostri facienda tenore presentium commitimus vices nostras donech eas ad nos duxerimus revocandas quos nisi infra sex dies postquam inde fuerint requisiti seu alter eorum fuerit requisitus dicimus et mandamus quatenus ad vos reverendum episcopum et capitulum et singulares eiusdem aliasque personas de quibus expediens fuerit accedant seu accedat et dictas literas apostolicas et hunc nostrum processum omniaque et singula in eis contenta vobis et aliis omnibus quorum interest vel intererit ubi, quando et quo ciens fuerit opportunum legant, intiment et fideliter publicare procurent et nichil minus omnia et singula nobis in hac parte commissa plenarie exequantur iuxta traditam seu directam a sede apostolica nobis forman. Ita tamen quod ipsi subdelegati nostri aut quivis alias nichil in preiudicium

dictorum Petri Pontii de Fonolleto et prioris conventus predictorum valeant attemptare nec circa superscriptas sententias per nos latus absolvendo vel suspendendo aliquid inmutare et si contingat nos in aliquo procedere de quo nobis potestatem omnimodam reservamus non intendimus propterea comissionem nostram huiusmodi in aliquo revocare nisi de revocatione ipsa specialem et expressam faceremus in nostris litteris mentionem prefatas quoque literas et huic nostrum processum volumus penes dictos priorem et conventum remanere et non per vos aut aliquem vestrum contra ipsorum voluntatem quomodolibet detineri. Contrarium vero facientes prefatis sententiis per nos latis ipso facto volumus subiacere. Mandamus tamen vobis copiam fieri de premissis si eam petierint et habere voluerint, vestris tamen sumptibus et expensis, absolutionem vero omnium et singulorum per prefatas nostras sentencias incurrentes quoquomodo nobis et successori nostro in officio vel superiori nostro tantummodo servamus. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium premissorum presentes litteras seu presens publicum instrumentum per notarium infrascriptum subscribi et publicari mandavimus suique signi et subscriptioni et nostri officialatus curie sigilli appensione iussimus communiri. Datum et actum Barchinone in curia nostri officialatus barchinonensis die decima aprilis anno a nativitate Domini millesimo quadragecentessimo quinto decimo, presentibus venerabilibus et discretis Marcho Carrera sancti Iacobi Barchinone, Anthonio de Ponte sancti Iusti de Sercio diocesis barchinonensis presbiteris in decretis bacallariis ecclesiarum parochialium rectoribus, et Petro de Areny notario curie barchinonensis pro testibus convocatis et assumptis specialiter ad premissa. Vedit Petrus officialis et commissarius.

Signum mei Iohannis Vinyola auctoritate reverendissimi in Christo patris et domini domini francisci miseratione divina barchinonensis episcopi curie sui officialatus notarii publici et scribe qui premissis omnibus et singulis dum sic ut premittitur agerentur et fierent coram dicto domino exequore, una cum prenominatis testibus presens fui, eaque omnia et singula in hanc publicam formam scribi feci et mandato dicti domini commissarii et exequoris me subscripsi et signo meo solito una cum sigilli curie officialatus predicte appensione signavi, in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum requisitus. Cum litteris in raso positis in lineis sexta ubi legitur tenor, tricesima sscunda, de eodem rectore ecclesie.

Adest sigillum in carta impressum et affixum in cera rubei et albi coloris, pendens e cordula canapis.

A tergo in medio: R. P. = Carthusiensis pro quarto de Robinis.

Annotationes ab archivista conventuali peracte:

Possessoria del quart de la sglesia parrochial de Robines encorporat a le casa de Cartuxa de Mallorca. Dats a X de abril MCCCCXV.

Calaix 3, numero 14.

En dit posesori se tatxan 45 lliures al canonge Fonollet per haver renunciat dit quart.

1415, apr. 25

*Fr. Nicolaus Cuch monacus et procurator domus cartusiensis, virtute  
litt. app. ut supra, apprehendit possessionem quarti eccl. de Robinis  
vacantis per resignationem Petri Fenollet.*

In Dei nomine. Noverint universi quod cum nuper per sanctissimum in Christo patrem et dominum dominum Benedictum divina providentia papam tertium decimum ad supplicationem pro parte religiosorum prioris et conventus domus Iesu Nazareni cartusiensis ordinis maioricensis diocesis fuisse eidem domui imperpetuum incorporatum, annesum et unitum perpetuum beneficium quartum nuncupatum parrochialis ecclesie de Rubines dicte diocesis cum eius iuribus et pertinentiis universis, ita quod venerabili Petro Fenollet canonico barchinonensi qui dictum beneficium tunc temporis obtinebat cedente vel decedente aut beneficium ipsum alias quomodolibet dimittente, liceret eisdem priori et conventui per se vel alium corporalem possessionem beneficii, iurumque et pertinentiarum predictorum, auctoritate propria apprehendere ac perpetuo retinere, fructusque, redditus et proventus, iura et obventiones ipsius in suos ac domus et conventui predictorum, usus convertere, diocesani loci vel alterius cuiuscumque licentia minime requisita, ut in litteris apostolicis, scilicet dicti domini nostri pape sanis et integris non viciatis, non cancellatis nec in aliqua sui parte suspectis sed omni prorsus vicio et suspicione parentibus, ut prima facie videbatur veraque bulla plumbea ipsius domini nostri pape in filis sericeis virmilii croceique coloris more romane curie bullatis, datisque in civitate Valentie, provincie terraconensis, undecimo kalendas marcii pontificatus dicti domini nostri pape anno vicesimo primo latius continetur. Et deinde per eumdem dominum nostrum papam facta comissione honorabili domini officiali barchinonensi quod si dictum beneficium per liberam cessionem dicti venerabilis Petri vaccare contigeret ut prefertur, idem dominus officialis dicta cessione admissa, eidem Petro iuxta ipsius beneficii fructuum, reddituum et proventuum valorem, pensionem annuam super eisdem et domus prefate fructibus, redditibus et profentibus per priorem et conventum predictos eidem persolvendam constitueret et assignaret ut hoc clarius continent alie littere dicti domini nostri pape sane et integre ut prefertur, ac in cordula canapis vera bulla plumbea ipsius domini nostri pape more romane curie bullate que sunt tenoris sequentis.

Benedictus episcopus servus servorum Dei, dilecto filio... officiali barchinonensi. Salutem et apostolicam benedictionem. Religionis integritas sub qua dilecti filii... prior et conventus domus Iesu Nazareni cartusiensis ordinis, maioricensis diocesis etc. *ut supra*.

Et propter hoc dictus venerabilis Petrus Fenollet sive honorabilis

Guillermus Carbonelli canonicus ecclesie barchinonensis, procurator ad hec legitime constitutus ab ipso Petro cum instrumento confecto Ilerde quarta die aprilis infrascripti et clauso per discretum Dalmacium Martini per totam terram et dominationem illustrissimi domini regis Aragonum auctoritate eiusdem notarium publicum resignasset pure et libere et animo penitus dimittendi in manibus honorabilis Petri des Sorts decretorum doctoris, canonici callaranensis, officialis barchinonensis, comissarii et executoris apostolici ad hec dati cum litteris superius insertis, predictum beneficium quartum dicte ecclesie parochialis de Robines ut premittitur nuncupatum, cum omnibus et singulis iuribus et pertinenciis eiusdem dictusque officialis comissarius et executor apostolicus prout supra dictam resignationem admississet et iuxta formam dicte commissionis pensionem annuam quadraginta quinque librarum maioricensium super eisdem ac domus prefate fructibus, redditibus, proventibus per priorem et conventum predictos eidem Petro quoad vixerit seu legitimo suo procuratori in civitate Maioricarum persolvendam, videlicet in festo Purificationis Virginis Marie medietatem et in festo Ascensionis Domini aliam medietatem sub penis et sententiis inde latis, auctoritate apostolica concessisset, constituisset et assignasset ut in processu executorio dicti domini officialis et executoris apostolici dato et acto Barchinone in curia officialatus Barchinone die decima eiusdem mensis aprilis et sigilli dicte curie appensione in vestis albis communito, clausoque et subsignato per discretum Iohannem Vinyoles auctoritate reverendissimi in Christo patris et domini domini Francisci miseratione divina berchinonensis episcopi curie iamdicte notarium publicum et scribam hec et alia contingentia ad premissa latius reserantur, nichilque dicte domui et eius conventui ad effectum obtentus dicti beneficii sive quarti restaret agendum, nisi possessionem predicti beneficii sive quarti habere, et etiam retinere. Ideo die vicesima quinta mensis aprilis anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo quintodecimo, hora vesperorum eiusdem diei, in presentia mei Iohannis de Reria notarii publici infrascripti et discretorum Iacobi Bagur et Petri Natalis presbiterorum maioricensium ac Ferraria Sabaterii scriptoris maioricensis, testium ad hec specialiter vocatorum, religiosus et honestus vir frater Nicolaus Cuch monacus predictorum domus, monasterii et conventus ac eorum yconomus et procurator personaliter constitutus ante presentiam venerabilis Francisci Vallariola, rectoris parochialis ecclesie de Robines, predicte presencialiter existentis intus habitationem suam quam fovet in hospitio sacristanatus ecclesie sedis maioricensis, dixit se nomine dictorum prioris et fratrum dicte domus virtute incorporationis, annexionis et unionis expressarum in litteris apostolicis primo superius designatis, etiamque virtute litterarum apostolicarum superius insertarum et ex licentia seu facultate eis concessa et contenta in iamdictis litteris, auctoritate propria

apprehendere, prout apprehendit corporalem possessionem beneficii perpetui sive quarti iurumque et pertinentiarum predictorum tanquam resignati per dictum Petrum Fenollet ut superius continetur hoc modo videlicet quia ipse frater Nicolaus Cuch dicto nomine requisivit dictum venerabilem rectorem ut aliquid de fructibus et redditibus primicie dicte ecclesie parochialis de qua primicia ipse quartus proceditur et debetur, traderet ipsi yonomico nomine dicte domus priorisque et fratrum eiusdem in signum huiusmodi possessionis apprehense per eum ac habite et adhepte, faciens idem yconomus fidem eidem rectori de incorporacione, annexione et unione, licenciaque et resignatione predictis per litteras et processus apostolicos antedictos. Quiquidem venerabilis Franciscus Vallariola rector prefatus, visis et recognitis predictis litteris apostolicis et processu et attenta requisitione predicta, statim admittens et acceptans quantum in eo est predictos monasterium et conventum ac eorum nomine prefatum yonomicum tradidit eidem yonomico mensuran quandam et modicam ordei et frumenti primicie antedicta in signum possessionis huiusmodi corporaliter adhepte et habite ut prefertur, de quibus sic gestis idem yconomicus ut procurator dicto nomine requisivit sibi eodem nomine fieri et tradi unum et plura publica instrumenta per me dictum notarium, presentibus testibus antedictis. Que fuerunt acta predictis die, hora mense, anno et loco ut superius continetur, presentibus me notario et testibus supradictis ad premissa specialiter vocatis.

Signum mei Iohannis de Rieria auctoritate regia notarii publici per totam terram et dominationem illustrissimi domini regis Aragonum qui predictis interfui, hecque scribi feci et clausi, necnon superposui in linea XXXVI prout apprehendit.

A tergo:

Annotationes ab archivista monasterii peracte:

Calaix 3 numero 15.

Sub anno M<sup>o</sup>CCCC vicesimo secundo die vero decima martii. a 25 de abril.

Posessio quarti ecclesie de Robines. Dats XV de abril MCCCCXV.

Calaix 3 numero 15.

1473, maii 29

*SIXTUS IV ad perpetuam rei memoriam: iterum incorporat monast. cartusiensi Iesu Nazareni rectoriam eccl. Ste. Crucis maioric. quam subreptitie obtinuit a Paulo II Marcus Castanyer, vacantem per resignationem Stephani Decors. — Dat. Rome apud S. Petrum ad Vinc. a. incarnationis Dni. millesimo quadringentisimo septuagesimo tertio, IV kal. iun. pont. a. II. "Digna exauditione vota"*

SITXUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. AD PERPETUAM  
REI MEMORIAM.

Digna exauditione vota personarum humilium dirnis laudibus sacreque religionis observantie deditarum apostolico nos convenit favore prosequi et eorum necessitatibus occurrere provisionis gratia congruentis ac illis que propterea rite processisse comperimus ut illibata permaneant sublatis hiis que contra ea per surreptionis astutiam sunt concessa apostolica roboris adiicere firmitatem, dudum siquidem felicis recordationis Paulo papa II predecessori nostro pro parte quondam Marchi Castanyer perpetui vicarii parochialis ecclesie Sancte Crucis maioricensis exposito quod olim pro parte tunc prioris et fratrum domus Iesu Nazareni cartusiensis ordinis maioricensis diocesis.

Petro de Luna, Benedicto XIII in sua obedientia de qua partes ille tunc erant nuncupato, exposito quod quamquam clare memorie Martinus Aragonum rex deputasset quoddam regium palatium in parrochia Vallis de Muça dictae diocesis situm ad opus dictae domus in qua prior et duodecim monachi ad divinum officium peragendum et alii perpetuo virtutum Domino famulantes ordinari valerent nichilominus ecclesia et plures officine dictae domui necessarie adhuc faciente restabant ad quarum fabricam et prioris ac fratrum aliorum que secundum dicti ordinis statuta ibidem necesarioum sustentationem, fructus, redditus et proventus tam per dictum regem quam alias christifideles pro ipsius domus dote consignate con suppeterbant, idem Benedictus premissis attentis prioris conventus et regis predictorum ac tunc episcopi et iuratorum maioricensium supplicationibus inclinatus, predictam ecclesiam dictae domui per quasdam litteras gratiouse unierat, annexuerat et incorporaverat, ita quod cedente vel decadente ipsius ecclesie tunc rectore aut illam alias quomodolibet dimittente, liceret eidem priori et conventui dictae ecclesie possessionem propria auctoritate apprehendere, reservata tamen prius per episcopum maioricensem pro tempore existentem de ipsius ecclesie fructibus pro perpetuo vicario in eadem ecclesia instituendo ac loci ordinario per priorem et fratres dictae domus qui pro tempore forent presentando qui curam ipsius ecclesie gereret congrua portione de qua se sustentare, iura episcopalia solvere et alia sibi incumbentia onera perfriu posset et deinde pro parte prioris et fratrum predictorum eidem Petro de Luna exposito quod cum dicta ecclesia postmodum tunc per obitum quondam Berengarii de Massonis olim ipsius ecclesie rectoris extra romanam curiam defuncti vacavisset et unio predicta effectum sortita forem bone memorie Ludovicus episcopus maioricensis dictarum litterarum vigore, quondam Nicolaum Cuch presbiterum maioricensem ad presentationem prioris et conventus predictorum in perpetuum vicarium dictae ecclesie instituerat et eidem Nicolao et successoribus suis dictae

ecclesie vicariis qui pro tempore forent pro eorum sustentatione et infrascriptorum onerum supportatione omnes et singulos fructus, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta eiusdem ecclesie ita inde liceret quod ipse vicarius ex tunc et successores prefati predicta omnia et singula peterent, exigenter, reciperen et haberent ac eorum propria facerent solvendo tamen et tradendo de eisdem fructibus anno quolibet priori et fratribus ipsius domus qui tunc erant et pro tempore essent ducentas libras regalium maioricensium, francas, quitas et expeditas ab omnibus oneribus assuetis et consuetis secus Civitatem Maioricarum videlicet quartam partem earum de tribus in tribus mensibus sub pena privationis ipsius vicarie et excommunicationis sententia eo ipso si contra facerent incurrenda reservaverat ac voluerat quod vicarius dicte ecclesie qui pro tempore foret in operibus domus sive hospitii dicte ecclesie oportunas expensas secundum facultates dicte ecclesie facere et ipsum hospitium ac domos eiusdem manutenere et in illo hospitalitatem servare ipsis priori et fratribus ac eorum servitoribus sumptibus tamen et expensis dicte domus parando eis duos lectos pro eorum dormitione ac stabulum pro eorum animalibus ad ipsorum et dicte domus expensas si et cum ipsis vel aliquem sive aliquos eorum ad Civitatem Maioricarum declinare contigeret ipsosque fratres et bona dicte domus pro ipsius vicarii posse procurare et defendere ac alias circa necessaria dicte domui et illius fratribus in dicta Civitate Maioricensi et non alibi quamdiu de ipsorum procederet voluntate vacare teneretur nonnullaque alia tunc expressa et in quibusdam litteris ipsius Ludovici episcopi desuper confectis contenta fecerat et ordinaverat idem Petrus reservationem predictam ac omnia et singula in eisdem litteris episcopi contenta pena excommunicationis contra facientes in illis inficta duntaxat excepta approbaverat et confirmaverat supplendo omnes et singulos defectus si qui forte intervenissent in eisdem primo per quasdam ac posmodum pro parte prioris et fratum predictorum eidem Benedicto exposito quod dictus vicarius preter ducentas libras huiusmodi ratione visitationis ecclesie memorare viginti et pro decimis eius decem libras similes annuatim solvere tenebatur et quod huiusmodi ac alia ecclesie prefate onera supportanda ipsius ecclesie non suppeterbant facultates idem Benedictus vicariam predicte ecclesie ad viginti libras similes taxaverat ita quod pro visitatione et decimis ultra dictam taxam minime solvere teneretur ac statuerat et ordinaverat quod ipse vicarius pro portione sua huiusmodi de fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, et obventionibus ac emolumentis supradictis, septuaginta libras monete prefate annuatim perciperet residuum vero ipsorum fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum et emolumentorum ad eosdem priorem et fratres perpetuo pertineret et in eadem expositione per ipsum Marchum eidem Paulo predecessori subiuncto quod domus predicta tunc multo magis in

redditibus abundabat quam abundaret tempore quo unio predicta ac prefertur facta extiterat et quod ipsi prior et fratres portionem huiusmodi eidem Marcho diminuere quantum in eis fuerat, conati fuerant et conabantur in dies ipsaque portio erat adeo modica et tenuis quod vicarius ipse ex ea se sustentare et onera predicta perferre non poterat propter quod divinus cultus in dicta ecclesia cotidie diminuebatur et illius parrochiani exinde plurima incommoda patiebantur, idem Paulus predecessor ex premissis et aliis expositis causis ipsius Marchi in ea parte supplicationibus inclinatus unionem predictam dissolvit ac ipsam ecclesiam in pristinam et eum statum in quo antequam unio fieret ipsa quomodolibet existebat, restituit, reintegravit et reposuit vicariam predictam et illius titulum necnon unionis, reservationem huiusmodi penitus suppressendo deque dicta parochialis ecclesia quovis modo vacaret dicto Marcho providit priori vel conventui predictis pensionem annuam medietatis fructuum, reddituum et proventuum eiusdem ecclesie deductis illius oneribus per dictum Marchum in litteris ipsius Pauli predecessoris desuper confectis plenius continetur, et deinde nos omnia beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura apud sedem apostolicam tunc vaccantia et in antea vacatura collationi et disposicioni nostre reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane si sscus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigeret attemptari. Cum itaque postmodum perpetua vicaria dicte ecclesie per liberam resignationem dilecti filii Stephani de Cursu alias Descors clerici maioricensis nuper dicte ecclesie perpetui vicarii per eum de illa de qua per obitum dicti Marci apud sedem prefatam defuncti vacante apostolica sibi fuerat auctoritate provisum et quam tunc obtinebat in manibus nostris sponte factam et per nos admissam apud sedem predictam vacaverit et vacet ad presens nullusque de illa preter nos hac vice disponere potuerit sive possit reservatione et decreto obsistentibus supradictis et ut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum modernorum prioris et fratum dicte domus cause exposite eidem predecessor ad extorquendum concessionis gratiam super qua littere predicte Pauli predecessoris prefati expedite fuerunt in predictis litteris postmodum specificate non fuerint ipseque littere non cum commissione ad partes et clausula vocatis dicto priore et conventu ac aliis qui forent evocandi et constito de premissis ut debebant iusta dictam concessionis gratiam cum de gravi preiuditio domus ac prioris et fratum predictorum qui dictam ecclesiam ante datum litterarum predictarum per sexaginta et novem annos continuos possederant et illius fructus, redditus et proventus, deducta portione huiusmodi pro vicario perceperant pacifice et quiete sed ad importunam forsam dicti Marchi instantiam qui non ignarus de statu dicte vicarie illam per resignationem ex causa permutationis vacantem assequi procuraverat ad finem forte priorem et conventum predictos vexandi non per cancellarium

sed preter signaturam... in forma gratiosa expedite fuerunt et per eas prior et fratres predicti a romana curia tunc absentes et non vocati ex causis non veris preter stillum romane curie et formam dicte concessionis gratie expeditas eorum iure priventur. Fuerit quoque pro parte carissimi in Christo filii nostri Iohannis Aragonum regis illustris ac prioris et fratrum predictorum quod fructus, redditus et proventus dicte ecclesie absque portione predicta pro vicario reservata ducentarum librarum turonensium parvorum secundum communem estimationem valorem annum non excedunt nobis humiliter suplicatum ut Pauli predecessoris prefati litteras predictas et in illis contenta revocare ac unioni, annexioni, et incorporationi predictis pro eorum subsistentia firmiori robur nostre confirmationis adiicere et ne dicte ecclesie vicarii qui pro temporeforent, prefati Marchi exemplo invitati eosdem priorem et frater vexare imitarent et eos qui mundo mortui soli Deo vivente litigia in iuribus incommoda varia domui et ecclesie prefate hactenus pervenerint aborent litigare aut eorum iura indiscussa derelinquere compellens, vicariam predictam eidem domui perpetuo unire, annexere et incorporare aliasque eidem domui et fructibus... in premissis oportunum providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos qui diutius inter alia volumus quod petentes beneficia ecclesiastica aliis unirentur exprimere verum valorem tam beneficii uniendi quam illius cui unio fieri petitur alioquin unio non valeret et quod semper in omnibus commissio fieret ad partes vocatis quorum interest fructuum, reddituum et proventuum domus et vicarie predictarum veros annuos valores presentibus pro expressis habentes huiusmodi supplicationibus inclinati litteras predictas Pauli predecessoris prefatas auctoritate apostolica presentium tenore cassamus, revocamus, et irritamus ac domum, priorem et fratres predictos in pristinum et eum statum in quo erant antequam dicte littere Pauli predecessoris prefati emanassent eadem auctoritate restituimus, reponimus et reintegramus ac unionem, annexionem et incorporationem predictas et prout illas vacaverint omnia et singula in litteris Petri et Ludovici episcoporum contenta, reservatione portionis predicte pro vicario dumtaxat excepta prefata auctoritate approbamus et confirmamus, supplentes omnes et singulos defectus si qui forsan intervenissent in eisdem et nichilominus ecclesiam Sancte Crucis pro potiori cautela ac illius perpetuam vicariam predictus sive per Berengarii vel Marchi predictorum obitus aut resignationem huiusmodi sive alias quovis modo aut ex alterius cuiuscumque persona seu per liberam Berengarii vel Marchi aut similem Stephani predictorum vel alicuius alterius de illis de vicaria in dicta curia et de illa ecclesia predictis extra eam etiam vacaverint quod earum collatio iuxta lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta sit ipseque vicaria alias generaliter vel illa et ecclesia predicta specialiter dispositioni apostolice reserve existant et super eis inter aliquos lis cuius statutum

presentibus haberi volumus pro expressis et pendeat indecisa dummodo tempore date presentium non sit in dicta ecclesia alicui specialiter ius quesitum et dicte vicarie dispositio ad nos hac vice pertineat cum omnibus iuribus et pertinentiis suis dicte domui eadem auctoritate perpetuo unimus, annetimus et incorporamus ita quod liceat priori et fratribus predictis ecclesie et vicarie iuriumque et pertinentiarum predicatorum possessionem propria auctoritate apprehendere et earumdem ecclesie et vicarie fructus, redditus et proventus in suos et dicte domus usum et utilitatem convertere et perpetuo retinere diocesani loci et cuiusvis alterius aliis licentia super hoc minime requisita ac ut per aliquem sacerdotem ydoneum ad eorum nutum amovibilem eidem ecclesie in divinis deservire et illius parrochianorum animarum curam exercere. Non obstantibus voluntate nostra predicta ac recolende memorie Bonifacii pape VIII similiter predecessoris nostri et aliis apostolicis constitutionibus contrariis quibuscumque aut si aliqui super provisionem sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dicte sedis vel legatorum litteras impetrarunt etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alio quomodolibet tenore cessum quasquidem litteras et processus huiusmodi per ea inde secuta quecumque quoad ecclesiam et vicariam predictas volumus non extendi sed nullum per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum preiudicium generari et quibuslibet privilegiis, indulgentiis ac litteris apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant per que presentibus expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differi et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Proviso quod propter unionem, annexionem et incorporationem huiusmodi predicta ecclesia debitum non fraudetur obsequiis et animarum cura in ea nullatenus negligatur, sed illius debite supportentur onera consueta. Nos enim quo ad vicariam prout est et ex nunc quo ad ecclesiam irritum decernimus et inane si secus super hiis a quacumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter quo ad vicariam attemptatum forsan est actenus et quoad illam ecclesiam predictas imposterum contigerit attemptare.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre cassationis, revocationis, irritationis, restitutionis, repositionis, reintegrationis, approbationis, confirmationis, suppletionis, unionis, annexionis, incorporationis, voluntatis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Rome apud Sanctum Petrum ad Vincula anno incarnationis domini millesimo quadragesimo septuagesimo tertio, quarto kalendas iunii, pontificatus nostri anno secundo.

**Super plicam ad dextram: F. de V. = VIII.** i. ad sinistram: Nihil.

**Id. ad sinistram: Nihil.**

**Sub plica ad sinistram: C. = M. de Sole. = Bandetus. = F. A. Vallcoleti.**

**Expedita octavo idus augusti anno secundo. L. Durvalli. = Additi filarum IIII, residuum tamen infra septem lata.**

**Adest sigillum plumbeum e filo sete pendens.**

**A tergo: In medio R magno caractere. = R. in T. = De Gavallerii.**

**Annotationes ab archivista monasterii peracte: Bulla de Sixto 4 despatxada en Roma dia 29 maig del any 1473, any 2 de son pontificat, en que de nou unex a la cartuxa de Mallorca lo vicariat de Sancta Creu perpetuament. = Calaix 2 numero 2.**

**Indult apostolich per lo qual es unit perpetualment lo vicariat de Sancta Creu al monestir de Cartuxa de Maiorca: aquest es lo derer indult de papa Sixro 4º per so fa be guardar. Dats a XXVIII de maig MCCCCLXXIII. = Calaix 2 numero 2.**

**Calaix 2 numero 2. = Bulla de Sixte IV.**